


De anecdoto Neapolitanorum numo argenteo. *)



Quum elapsis modo mensibus Eques Nicolaus Santangelo,†) ornatissimus Vir, Daunia Praefectus, veterumque numorum atque adeo ἀρχαιολογίας universae studiosissimus, numos quosdam, quod saepe solet, a se comparatos, mihi ostenderet, incidi in ἀνέκδοτον argenteum minimae formae Neapolitanorum in Campania numulum typorum et argumento et praestantia plane insignem. Eius numi quum a cl. possessore ἐκκρυον summa fide expressum impetrarim, ad Te nunc mitto, Cl. ac Doct. Vir, Tuo, si velis, in Museo edendum. Vides in antica Herculis caput artificio sat rudi ac vetusto, leonis rictu ornatum exhiberi, cum hac epigraphe: ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ.

*) Aus einem Briefe an Niebuhr. Sept. 1828.

- 1) Vir hic et penitioris doctrinae, et munerum quibus fungitur gravissimis, commendatione praeclarissimus, adeo politioribus favere literis inter maximas rei publicae curas didicit, ut ingentem suppellectilem et vere regiam librorum, numorum, pictorum vasorum ac tabularum iustruxerit, quam cum patre fratribusque et sui ipsius et litterarum amantissimis servat in domestico Museo, omnibusque summa cum humanitate communicat.

Alteram numi faciem occupat mulier alata sedens: qui typus Terinaeorum 2) numerorum est quidem frequentissimus, in Neapolitanorum vero numis nunquam est ante hunc diem deprehensus.

Equidem quum numulum hunc accurate primum contemplatus, eiusque et novitate et ἀσθενείᾳ fuerim delectatus, dignissimus statim visus est qui in publicum ederetur, tum quod is Neapolitanorum meorum rei numariae fines propagaret (quod praestare a patriae caritate haud alienum esse videbatur); tum vel maxime quod meam quandam de Terinaeorum numerorum explicatione coniecturam potissimum comprobare videretur. Qua de re haec, quaeso, paucis accipito.— Quum in eos numos, qui Theroni Agrigentinarum regi aliquando tribui solebant, olim commentarer, 3) eosque Terinaeos esse re vera ostenderem, pauca exciderunt de numerorum Terinaeae typis observata; quorum frequentissimus quum sit alata mulier, in eam sententiam perductus sum, ut Ligeam Σειοῦνα ea indicari crediderim. Et sane fuit Terinaeis maxima Ligeam colendi haec caussa quod, Lycophrone teste, eius mortuae corpus Terinam a fluctibus delatum, ibi ad Ocenani fluenta conditum, a Terinaeis summa fuerit deinde religione honestatum. 4) Quae quum ita sint, iam coniciere licet, eam, quam apud se conditam maxime colebant, Σειοῦνα in numis suis Terinaeos expressisse. Et vero alatae mulieris typus etsi Victoriam prima fronte indicare videatur, saepe tamen et ad Divas alias nonnullas, et ad Sirenas praecipue indicandas trahi potest. Quam rem ut probarem,

2) Terina urbs in Bruttis ad mare Tyrrhenum, Crotoniatarum colonia, ab Annibale eversa. Vide Plin. lib. III cap. 5, Strabon. geogr. lib. VI cap. 1 §. 5, Stephan. v. Τέρινα, qui perperam ex Apollonide Nicaeo tradit Terinam Magnae Graeciae appellatione indicari, quod non unius urbis, sed regionis fuit nomen.

3) Vide meorum opusculorum volumen primum Neapoli editum A. 1826 pag. 155 seqq.

4) Cassandr. v. 726 seqq.

quaedam veterum loca notavi, in quibus Sirenes ipsae quasi alatae virgines describuntur, neque tamen iis, quod ceteri faciunt, avium quoque pedes tribuuntur. — Et sane praeter Euripidem qui *Σειρῆνας* non nisi *πτεροφόρους νεάνιδας* appellat, 5) veterisque Homeri Scholiastae 6) auctoritatem, qui et quasi alatas virgines eas pingit, nec pedes avium illis tribuit, Hyginus 7) quoque Sirenas Acheloi fluminis et Melpomenes filias ait a Cerere, quod Proserpinae auxilium non tulissent, *volaticas* esse factas, id est, alis auctas: de pedibus nihil addit. Et rem, meo quidem iudicio, conficit Porphyrii 8) locus, e quo plane eruas Sirenum eandem aliquando imaginem fingi, quae Musarum, Victoriae, Iridis, mulieris nempe alatae: *τὰς δὲ Μούσας* (ait ille) *ἐπέρωσαν, καὶ τὰς Σειρῆνας κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ τὴν τε Νίκην καὶ τὴν Ἴριον, καὶ τὸν Ἔρωτα καὶ τὸν Ἑρμῆν*. Itaque quum eadem Sirenum, quae Musarum et Victoriae fuerit figura, pedibus fateamur oportet esse pictas humanis. — Quod ad monumenta artium haud equidem dubito et fuisse et esse maiorem eorum numerum, quae avium pedes Sirenibus tribuant. Et tales quidem Sirenas effingi non minus e poetarum lectione, quam e pictorum operibus didicerat Aelianus 9): id tamen perpetuo servatum non esse contendo. Probat id quidem anaglyphum a Gorio 10) editum, in quo tres Sirenes sedentes conspiciuntur, Ulyssis nave praetereunte: eae autem ne alis quidem, nedum avium pedibus, ornantur. — Haec, quae

5) Helen. v. 166.

6) Ad Odys., lib. M v. 39.

7) Fab. 141.

8) *Περὶ ἀποχῆς* lib. III p. 284, edit. Lugdun. A. 1620.

9) *Περὶ ζωῶν ἰδιότη.* lib. XVIII cap. 23. *κατὰ πτεροῖν γὰρ ὡς ἦσαν (αἱ Σειρῆνες) καὶ τοῦ μύθου αἱ κῆραι καὶ τοὺς πόδας ἔρμηθες ἐδόκουν, ποιηταὶ τε ἄδουσι καὶ ζωγράφοι δεικνύουσι.*

10) Mus. Etr. tom. I tb. 147. Illustrat hoc anaglyphon, in quo sine alis Sirenes exhibentur, egregius Eustathii locus, qui de poetis Homero recentioribus haec ait: *Οὗτοι δὲ καὶ πτερωτὰς (Σειρῆνας) πλάττουσιν, οὐ μὲν οὕτω καὶ ὁ ποιητής. ἢ γὰρ ἂν ἐδίωξαν τὸν Ὀδυσσεῖα παρελάσαντα προσπειτόμενοι εἶγε πτεροῖς διψκοῦντο.* Ad Odys. M p. 1709.

olim de Terinaeorum numorum typo disputavi¹¹⁾, maximam nunc lucem accipere videntur ex hoc Neapolitanorum numulo ἀνέκδοτον, in quo idem plane alatae mulieris sedentis est typus. Cui enim non statim succurrat, sic Neapolitanos Parthenopen Σειρήνα coluisse, ut Terinaci Ligeam? Quare dicendum plane videtur eadem Neapolitanos forma Parthenopen exhibere voluisse qua picta est Ligea in numis Terinaeorum. — De Parthenopes vero cultu apud Neapolitanos recepto quum vulgata sint ac frequentia veterum testimonia, satisque et illud pervulgatum, ea nempe de caussa et ipsi urbi factum Parthenopes nomen, plura hic addere supervacuum: Lycophronis tamen versus nobilissimos afferre, quos et supra memoravi, ea maxime de caussa opportunissimum videtur quod in iis tum Parthenopes tum Ligeae mentio occurrat: quare videntur ad horum numorum, de quibus agimus, explicatorem plane conferre. Sic ergo ille Cassandr. v. 712—37.

Κτενεῖ δὲ κόρας Τηθύος παιδὸς τριπλᾶς
 οἴμας μελωδοῦ μητρὸς ἐκμεμαγμένας
 αὐτοκτόνοις ῥιφαῖσιν ἔξ ἄκρας σκοπῆς
 715 Τυρσηρικὸν πρὸς κῦμα δυπτούσας ΠΤΕΡΟΙΣ,
 ὅπου λινεργῆς κλῶσις ἔλκυσει πικρά,
 τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβροασμένην,
 Γλάνις τε ρεῖθροις δέξεται τέγγων χθόνα.
 οὗ σῆμα δωμήσαντες ἔγχωροι ΚΟΡΗΣ
 720 λοιβαῖσι καὶ θύσθλοισι ΠΑΡΘΕΝΟΠΗΝ βοῶν
 ἔτεια κυδανοῦσιν, ΟΙΩΝΟΝ ΘΕΑΝ.
 ἀκτὴν δὲ τὴν προῦχουσαν εἰς Ἐνιπέως
 Λευκωσία ῥιφεῖσα, τὴν ἐπώνυμον

11) Neque his quae tum scripsi de Terinaeorum numis ob stare potest perrarus huius urbis numus, quem descriptum habes apud Mionnet tom. I pag. 204, et vidi quoque acre incisum in tabulis quibusdam, quas brevi a se edendas ostendit mihi amicissimus Vir Millingen. Est in eius postica mulier sine alis cum hoc lemmate ΝΙΚΑ. Vides hic Victoriam, quod plane rarissimum sine alis expressam, quo nempe et ex hac περιστάσει a Sirene alata ceterorum numorum typo distingueretur.

πέτρᾳ δ' ἄγει δαρόν, ἔνθα λάβρος Ἴς
 725 γείτων θ' ὁ Λάρις ἔξερεύγονται ποτά.
 ΛΙΓΕΙΑ δ' εἰς Τέρειναν ἔκναυθλώσεται
 κλύδωνα χελλύσσουσα τὴν δὲ ναυβάται
 κρόκαισι ταρχύσουσιν ἐν παρακτίαις,
 Ὠκιάρου δίνῃσιν ἀγχιτέρμονα.
 730 λούσει δὲ σῆμα βούκερωσ νασμοῖς Ἄρης
 ΟΡΝΙΘΟΠΑΙΔΟΣ ἴσμα φοιβάζων ποτοῖς.
 ΠΡΩΤΗ δὲ καὶ ποτ' ἀὔθει συγγόνων ΘΕΑΙ
 κραιῖνων ἀπάσης· Μόνοπος ναυαρχίας
 πλωτῆρσι λαμπαδοῦχον ἐντυνεῖ δρόμον,
 735 χρησμοῖς πιθήσας ὄν ποτ' ἀὔξῃσει λεῶς
 ΝΕΑΠΟΛΙΤΩΝ, οἳ παρ' ἄκλυστον σκέπας
 ὄρμων Μισηνοῦ στυφλὰ νύσσονται κλίτη.

Videntur mihi quidem hi versus, etsi pluribus locis obscurissimi, typos tamen Neapolitani huius numi et Terinaeorum egregie illustrare, atque in iis quasi digito utriusque populi Sirenem, οἰωνόν θεάν, ὄρνιθόπαιδα, nobis ostendere. Praeterea nec Lycophro eorum videtur sententiam sequutus, qui Sirenibus avium σκελῆ tribuunt praeter alas. Nam quas usurpat voces, proprie de alatis virginibus intelligi debere et alibi ostendi, et numi confirmant. Neque audiendus Martorellius noster, 12) doctissimus quidem vir, sed ultra modum paradoxorum cupidus; qui ὄρνιθόπαιδος vocem ab ὄρνις *galina* trahendam clamat, quum multo simplicius ea ab ὄρνις *avis* derivetur, alatumque virginem significet. 13) — Quae quum ita sint, iam vides, quo iam earum quas adnotavi rerum summa redeat. Ut Terinaei Ligeam sub alatae virgi-

12) De thec. calam. p. 684.

13) Adde quod propter cantus suavitatem avibus comparentur, atque hinc diserte Σειρήνας ἀηδόνας vocat Lycophro Cassand. v. 653, quod doctiss. Spanhemius de usu et praest. num. antiq. tom. I pag. 255 opportunissimo Cyrilli quoque loco confirmat. Vide et quae habet ibid. pag. 254. Atque hac quidem de causa in numis Terinaeorum saepe in Sirenis dextra avis, forte luscinia, conspicitur.

nis typo fere perpetuo, sic semel et Neapolitani Parthenopen sororem in numo hoc ἀνεκδότῳ expresserunt. Sed et uterque populus videtur mihi Sirenis quoque effigiem in monetae suae antica exhibuisse saepissime: quum et in Neapolitanorum et in Terinacorum numis argenteis muliebri caput elegantissimum occurrat, quod Parthenopes in illis, Ligeae in his iure tenent nonnulli, 14) — Iam pauca, restant adnotanda de Herculis effigie, quae in numi nostri antica conspicitur. Fuit et hic a Neapolitanis singulari religione cultus, uti et ceterorum numi ostendunt, 15) et e vererum testimoniis Martorellius 16) atque Ignarra 17) docere conantur.

14) Vide quae de his adnotavi in meis opusc. tom. I p. 184, 204 seqq.

15) Vide elegantes numulos editos a Reynier in Précis d'une collection etc. tab. I n. 25. et in monumenti inediti Neapoli editis fasc. II p. 115 tab. 8 f. 8.

16) De thec. calam. p. 492. 497.

17) De palaestr. Neapol. p. 101.

I. M. Avellinius.